



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Polemica

Burghaber, Adam

Fribvrgi Helvetiorvm, 1678

LXXXII. De Sacramento Matrimonij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72462](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72462)

PARS POSTERIOR.

ERRORES HÆRETI-
CORUM.

IX. **E**rror primus. Clerici ne jure quidem humano quoad personas & materias rectè à potestate Magistratûs Civilis eximuntur. Ita Amesius Tom. 2. à fol. 130. duce Calvino L. 4. Instit. c. 11. §. 15. Gerhardus L. 2. P. 2. à fol. 136. & alij Sæctarij communiter. Probant. 1. ex illo ad Rom. 13. v. 1. & 1. Pet. 2. v. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Subjecti igitur estote &c.* Ergo jure divino etiam Clerici subditi esse debent humanæ ac sæculari potestati. 2. ex eo, quod Constantinus apud Theodoretum Lib. 1. c. 20. dixerit, *se Eusebium Nicomediensem Episcopum Arianum ejecisse in exilium, ac subjunxerit, si quis Episcopus tumultuatus fuerit, illius audaciam se coerciturum.* 3. ex pari. Ordo Clericalis non liberat à debito servitutis, à debito pecuniario, à debito conjugali. Ergo nec à debito subjectionis civilis. 4. ex injuria, quæ fit Principibus, si inviti suo jure priventur.

X. Errorem hunc post plura Concilia & Canones rejicit ac damnat Tridentinum Sess. 25. de Reform. c. 20. cit. decernens, *Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI ordinatione & canonicis sanctionibus institutam.* Et sanè ipsa quoque Sacra Scriptura ejusdem exemptionis Clericorum tam quoad personas, quàm bona Ecclesiastica faciendæ haud levem dat ansam præter locos citatos 1. Corinth. c. 6. ubi Apostolus acerrimè per 7. versus reprehendit Corinthios, quod ad Judicium sæculare suas causas civiles deferrent, jubetque omnino, ut ipsi inter se viros judicio idoneos præficiant &c. Quantò autem magis absurdum foret, ut supra jam insinuavi, si Clerici (qui supra cæteros autoritate & potestate eminent) tam quoad personas, quàm bona & controversias suas politicas foro & potestati sæculari subijcerentur. Unde à Sacris Concilijs & Canonibus exemptio Clericorum à potestate sæculari sapientissimè facta est, nec absque fundamento in jure divino præbito, ut jam diximus. Cæterùm cum Lutherus Lib. de abrog. missæ universim de Sæctarijs scribat: *Hoc dixisse contenti sumus, Christianum populum esse simplicem, in quo nulla prorsus secta, nulla differentia personarum, nullus Clericus, nullus Laicus, nullus unctus, nullus rufus, nullus Monachus esse debeat.* Cum, inquam, Lutherus hisce coloribus Ministros Sæctarum depingat, utique Prædicantes & quivis alij Ministelli verbi ob nullam rationem eximi à potestate sæculari merentur; Imò illorum vilitatem & abjectam sortem erubescunt, & dedignantur, quicumque ex familia paulò magis honorata se prognatos noverunt. Probationes nullius sunt momenti.

XI. Respondetur ad 1. intelligi hoc de legitimis Superioribus; quales Reges & Magistratus sæculares respectu Clericorum non sunt, factâ istorum exemptione per supremum Ecclesiæ Rectorem, & hujus potestatem supernaturalem eidem à Christo pro reâta Ecclesiæ gubernatione concessam. Unde breviter infero 1. nullâ humanâ potestate hanc exceptionem Clericorum à Pontifice factam tolli posse. 2. neque ipsum Papam

integrè ac penitus auferre eandem posse. 3. ipsum D. Petrum, ejusque Successores immediatè à Christo exemptum fuisse. Ad 2. Constantinum fecisse id, postquam ille Eusebius fuerat depositus ab Episcopatu, & à Concilio Niceno degradatus: nec dixisse Constantinum (ut pro mendaci suo genio refert Calvinus) se audaciam Episcoporum cõreiturum, sed Laicorum Nicomediensem, si malint sequi Episcopos hæreticos, & non eum, quem ipsis Concilium constituerit & proposuerit. Ad 3. non esse parem rationem; quippe majus est vinculum inter Dominum & Servum, inter creditorem & debitorem, inter virum & uxorem, quàm inter Principem seu Magistratum & Civem. Ad 4. non facere ulli injuriam illum, qui utitur jure suo. Videatur Bellarminus Lib. 1. de Clericis cap. 28. ubi bene ait, si Clericus violet civilem legem, carius vendendo, quàm lex præscribat, peccare eum, ac restituere teneri: non tamen posse conveniri apud Judicem sæcularem, sed apud Episcopum tantum; quia etsi Clerici sub sint legibus talibus quoad vim directivam, non tamen quoad vim coactivam & cõercitivam, ut violatores legum illarum puniri à sæculari Magistratu possint.

XII. *Error secundus.* Clerici etiam in rebus & causis merè Ecclesiasticis Potestati sæculari subijciuntur. Ita Philippus Melancthon in locis cap. de Magist. festatus Marsilium de Padua, & Joan. de Janduno, qui etiam Christum dixerunt subiectum fuisse legibus politicis. Iste error adeo absurdus est, ut eum etiam Calvinus loc. cit. & cæteri Novatores. erubescant. Quare nec nos illum refutatione, sed explosione dignum censemus.

CONTROVERS. LXXXI.

DE MATRIMONIO.

IN Matrimonio duo sunt consideranda prædicata, scilicet Contractus, & Sacramenti. Matrimonium, ut habet rationem Sacramenti spectat propriè ad Theologiam: ut habet rationem Contractus, hoc est, reciproce obligationis conjugalis, agunt de eodem tum Juris Periti, tum Theologi scholastici & Morales. Nos pro foro nostro ea solum referemus, quæ inter Catholicos & Hæreticos controversa sunt, eaque breviter expediemus cum multis non indigeant.

PARS PRIOR.

DOCTRINÆ CATHO-
LICORUM.

I. **D**octrina prima. Matrimonium, ut contractus sic communiter describitur: *Est conjunctio maritalis legitima viri & femine inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens.* Mart. Perez. D. 13. Sæct. 10. & alij, omnis cæteris, dicunt Matrimonium esse *Conjunctionem Maritalem.* Rectè & breviter, sed clariùs dici potest, quod

quod sit dominium mutuum corporum ad usum generationis. Hoc namque dominium mutuum est id, quod ex maritali Contractu resultat ac stabiliter permanet. Hoc est illud vinculum morale ac conjunctio, quâ conjuges invicem necuntur, obstringuntur, & in unam carnem radicaliter uniantur. Hæc est ipsa essentia Matrimonij stabilis ex quâ proprietates ac passiones ceteræ deducuntur. Hæc denique est illa mutua corporum potestas, quam Doctor Gentium Paulus 1. Corin. 7. v. 11. exposuit. Atque hoc mutuum in corpora dominium ad usum generationis humanæ ortum ex legitimo contractu maritali fundat mutuam utriusque conjugis obligationem ad reddendum debitum, idque essentialiter connotat & respicit. Nam omnis alia traditio corporum ad amicabilem cohabitationem, ad mutua & ab usu conjugali extranea obsequia nec est, nec fundat matrimonium, & potest inter viros & viros esse, fæminas & fæminas, fratres & fratres &c. Debet proinde, ut sit matrimonium, esse Jus mutuum in corpora in ordine ad generationem humanam, & consequenter ad copulam carnalem; quia tamen hæc non est de essentia, nec de integritate Matrimonij in sensu, in quo agimus, accepti; imò per accidens, sive per mutuam renunciationem, sive per aliam causam perpetuè impediri potest, idcirco non debet intelligi jus in corpora, uti & obligatio proxima & formalis, sed solum remota & radicalis, quæ sola essentialiter requiritur & sufficit; quantumvis semper, ubi nulla intervenit inter Conjuges conventio, aut utriusque votum continentia, ipsam radicalem obligationem reddendi debitum, comiteatur formalis & proxima.

II. Quod verò ipsum jus proximum ad corpora, & obligatio formalis ad debitum conjugale salvâ Matrimonij substantia, per accidens separari possit ab obligatione & mutuo corporum dominio radicali, constat ex eo, quod post nuptias Conjuges aut voto castitatis, aut aliâ mutuâ renunciatione proximi juris petendi, amittere possint formale & actuale dominium ad copulam carnalem, ita tamen ut maneant veri conjuges matrimoniali adhuc vinculo obstricti, etsi per accidens nequeant perere & matrimonium usu consummare. Unde dubium esse non debet, ipsum Matrimonium consistere in radicali & mutuo corporum dominio & apritudinali ad reddendum debitum obligatione.

III. Hinc deducitur, quâ ratione explicari & propugnari possit castissimum B. Virginis cum S. Josepho Matrimonium, idque verum ac proprium, ut tenet communis Catholicorum Sententia. Nam licet purissima Virgo & Sponsa Spiritus Sancti ante desponsationem cum S. Josepho votum perpetuæ Castitatis emisserit, ut tradunt SS. Patres apud P. Petrum Canisum Lib. 2. Marialis. c. 14. & ratio ipsa suadet: siquidem Sanctissima Virgo longè antequam S. Josepho nuberet, divinis inspirationibus splendide edocta agnovit, virginitatem voto consecratam Deo longè gratissimam esse; unde sicut pronissima erat ad majus beneplacitum DEI, ita haud dubiè eidem illibatum suum pudorem statim vovendo obtulit, adeo ut Spinellus c. 32. n. 26. ex Suarez inferat, illud votum in primâ statim conceptione emissum fuisse. Licet inquam B. V. Votum ediderit, & positivè dissenserit ab omni carnali copulâ, nolueritque proximam ad usum conjugij potestatem admittere, nihilominus cum Virgineo Sponso S. Josepho verum ac

proprium contraxit matrimonium, concedendo dominium radicale, & consentiendo in apritudinem & remotam obligationem, de quâ paulò ante dictum est.

IV. At verò si B. Virgo verum habuit matrimonium cum S. Josepho, tunc inivit cum ipso verum contractum ultro citroque obligantem. Consequens dici non potest; sic enim consensisset in copulam, quam novit in illo contractu involui. Respon. concessâ sequelâ, negando Minorem, ejusque probationem. Nam neque contractus Matrimonialis, neque Contractantes etiam implicite tendere ac consentire debent in formalem & actualem obligationem utrius conjugalis; siquidem hæc obligatio est separabilis à statu matrimoniali. Novit quidem B. Virgo contractum hunc tendere & connotare copulam conjugalem, sed in hanc cognitam non consensit, nec amavit illam, sicuti Deus cognoscit peccatum, non amat illud; quin autem contrahentes intendant & consentiant saltem implicite in obligationem radicalem ad usum generationis, non videtur negandum, idque concedunt Rebellus, Perez, & alij contra Pontium, quia hæc continetur in mutuo corporum dominio ad usum generationis, in quo sita est essentia Matrimonij: Videatur Perez D. 13. Sect. 5. Occlamat Gerhardus Lib. 2. P. 2. fol. 336. absurdum esse, Sponsam facere eam, quæ nequit esse conjunx. Aio absurdum id esse Prædicantibus & hujusmodi hominibus, quibus nihil in hoc mundo est amabilius, quàm Veneris thalamus: minimè vero absurdum esse alijs, qui mentem ultra has quisquillas terrestres extollunt. Negatur etiam, Beatiss. V. Mariam non factam fuisse uxorem juxta illud Matth. 1. v. 20. *Noli timere accipere Mariam Conjugem tuam.* Et mox v. 24. *accepit Conjugem suam.*

V. Matrimonium antecedunt sponsalia, quæ idcirco S. Thomas in 4. q. 5. art. 1. ad 6. *Viam ac dispositionem ad nuptias nuncupavit*; si quis tamen ampliorem expositionem desideret, quæ singula expressè referat & ob oculos ponat, definiiri poterunt sponsalia: *Mutua inter idoneas personas directa determinato tam interno voluntario ac deliberato consensu facta, quàm exterius signis sufficienter manifestata promissio futuri Matrimonij.* Quæ omnia pluribus declarant Theologi. Solum addo, ubi Tridentinum non est receptum, sponsalia jure antiquo transire in Matrimonium per quævis signa externa matrimoniali affectu exhibita: ubi verò illud receptum fuit, hæc signa non tenere, si sint clandestina, ideòque graviter in ijs peccari posse.

VI. *Doctrina secunda.* Matrimonium est verè proprièque dictum Sacramentum à Christo Domino institutum. Est de fide ex Trident. Sess. 7. & Sess. 24. can. 1. *Si quis dixerit Matrimonium non esse verè & propriè unum ex septem Legû Evangelicæ Sacramentis, à Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.* Qui articulus fidei magis nititur Patrum & Conciliorum Authoritate ac universalis Ecclesiæ traditione quàm Sacrà Scripturâ. Videtur quidem id asserere Apostolus Ephes. 5. v. 31. hisce verbis: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adheret uxori suæ: & erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia* Et ita illum intelligunt Bellarm. L. 1. de Matr. cap. 2. Tanner Tom. 4. D. 8. Q. 2. dub. 2. & alij, idque desumunt tum ex voce Sacramenti, tum ex significatione

caione mystica conjunctionis Christi cum Ecclesia. Sed bene notant Vasquez D. 2. de Matr. n. 53. & alij, neutram harum probationum esse efficacem; non 1. quia nomen Sacramenti in Scriptura variè sumitur: non 2. quia illa significatio omnibus matrimonijs posteriorum Adæ conveniebat; & tamen in veteri Testamento non erat Sacramentum. Quia tamen Matrimonium difficultates & gravamina maxima communiter affert: & juxta dicta verba Pauli specialiter est repræsentativum conjunctionis Christi cum Ecclesia, decebat, ut haberet efficaciam conferendi conjugibus gratiam specialem ad gerendum se ita, prout convenit, nempe sectantibus conjugium spirituale inter Christum omnis gratiæ fontem & Ecclesiam sibi per gratiam copulatam. Videantur DD. à Wälenbutch Tom. 2. fol. 38. Quando autem fuerit matrimonij contractus ad rationem Sacramenti elevatus à Christo, non potest certè definiti. Illud tamen est probabilissimum, fuisse institutum hoc Sacramentum vel in nuptijs in Cana Galileæ Joan. 2. vel Marth. 19. quando Christus sustulit Libellum repudij, & polygamie reductâ primavâ indissolubilitate, vel certè ante hæc tempora. Nam, ut bene observant moderni Doctores, non est credibile, Christum interfuturum fuisse nuptijs purè prophanis & naturalibus easque illustraturum fuisse primo & insigni miraculo, præsertim cum jam decrevisset hoc Sacramentum instituere, vel induturum fuisse novum onus indissolubilitatis & simplicitatis absque novo subsidio gratiæ specialis ad hoc onus sustinendum. Ex his facile apparet, hoc Sacramentum physicè definiendum esse *Contractum Matrimoniale* (supra explicatum) *ex institutione Christi collativum gratiæ spiritualis in ordine ad generationem & educationem prolis: Metaphysicè autem rectè ac pressè meliùs dici posse: Sacramentum novæ legis conferens peculiarem gratiam ad conjugatorum spiritualem amorem.*

VII. *Doctrina terna.* Materia remota Matrimonij, circa quam versatur contractus matrimonialis, sunt corpora habilia: proxima verò sunt verba exprimentia consensum, quatenus significant uniuscujusque respectu alterius traditionem corporis. Forma sunt eadem verba exprimentia consensum, quatenus uniuscujusque respectu alterius acceptationem indicant. In materia remota conveniunt omnes. In proxima & ipsa forma discrepant Auctores, sed his est de mero nomine, cui occasionem dedit decretum Eugenij IV. Papæ, in quo mutuum consensum expressum matrimonij causam affirmavit, quod quisque exactius, & quidem in nimis strictè observatâ cum alijs Sacramentis paritate conatus est interpretari. Sed sententia nostra est communis ac magis recepta, quam expressè tenet S. Thomas in 4. D. 26. q. 2. a. 1. ad 2. ubi dicit, actus sentui subjectos esse materiam Sacramenti Matrimonij. Et Bellarminus de Matr. c. 6. Est eadem ad mentem Eugenij. Nam si juxta illum contractus conjugalitatis, & consequenter ipsum Sacramentum; consistit in mutuo & expresso consensu, (quem Matrimonij, id est, vinculi conjugalitatis ac perpetui juris in corpora causam dixit) necesse est, unum ex his sive internum consensum secundum se, sive signa externa, quatenus illum expriment, matrimonium appellari; prius etsi putarint Gloss. in capitul. tuæ. de sponsalibus, Abbas, & alij, attramen sustineri non potest; quomodo enim tota materia proxima contractus politici ac sensibilis esse

possit penitus insensibilis, sicuti est consensus interius? posterius ergo tenendum. Deinde in alijs juriū translationibus præsertim gratuitis, ubi traditio solet esse realiter diversa ab acceptatione, illa veluti pars perfectibilis ac determinabilis pro materia: hæc veluti pars perfecta & determinativa contractus pro forma debere solet juxta analogiam ad materiam & formam physicam. Ergo pariter signa indicantia consensum in Matrimonio, prout æquivalent traditioni corporum determinabili, & acceptationi determinativæ, rectè materia & forma dicuntur; quoniam prædicata realiter inter se identificata, quæ realiter distinctis æquivalent, eundem adhuc servant proportionaliter ordinem, qui inest rebus distinctis. Atqui traditioni & acceptationi realiter distinctis convenit materialis & formalis significatio, ut prior est determinabilis, & posterior determinativa. Ergo etiam ratione nostrâ retinetur illa in formalitatibus æquivalentibus ac realiter indistinctis. Hinc inferitur; hoc Sacramentum esse simul in duobus subjectis, in marito & uxore, & quidem in singulis totum; quia in singulis est traditio & acceptatio, & singuli dicunt: ego trado tibi meum corpus in usum Matrimonij; & vicissim tuum corpus mihi traditum accepto; quamvis autem proprius solum consensus physicè sit in singulis, & alienus moraliter, id tamen sufficit ad subjectum Sacramenti, cum etiam in alijs Sacramentis formula verborum non physice, sed tantum moraliter sit in subjecto.

VIII. *Doctrina quarta.* Sicuti contractus nuptialis, ita Sacramenti Ministri sunt Personæ baptizati, rationis compotes, ut alias legitime & de presenti contrahentes. Ita communis Doctorum contra Canum. L. 8. de locis c. 5. Ratio est. Tum quia Sacerdos in matrimonio non pronunciat formam, quod proprium est Ministri. Ergo Sacerdos non est minister. Antecedens probatur. Eadem est forma post institutionem hujus Sacramenti quæ fuit ante; Christus enim reliquit invariatum Matrimonium. Sed ante institutionem non erat certa forma proferenda per Sacerdotem. Ergo nec potest. Adeoque verba illa (ego vos conjungo) præter sacram benedictionem nihil penitus significant. Tum quia Sacramentum Matrimonij, & Contractus maritalis inter Baptizatos cum debitâ intentione contrahentes sunt idem. Atqui contractum maritalium efficiunt contrahentes Baptizati ut Ministri; Ergo etiam ipsum Sacramentum Matrimonij. Hinc cum contrahentes sint, qui afficiuntur à contractu, & per eundem obligantur; Ministri hujus Sacramenti non sunt procuratores, qui pro absentibus sponsis nuptias ineunt.

IX. *Doctrina quinta.* Hujus Sacramenti nemo est capax nisi Baptizatus. Ita omnes; quia character Baptismi tanquam necessaria dispositio ad capacitatem cæterorum Sacramentorum præsupponitur, ut suo loco dictum. Unde inferitur Matrimonium Gentilium non esse Sacramentum, sed tantum contractum civilem, sicuti fuit in veteri Testamento ante adventum Christi. Sed hinc quædam inquiri solent treviter decidenda. Itaque

X. *Quæstio prima.* Si unus Conjugum sit baptizatus, an saltem ex parte illius sit Sacramentum? Respon. negativè, quia unus non est adæquatam subjectum Sacramenti, sed uterque simul, ideoque ambo conjuges debent esse baptizati; sicuti ad suscipiendum baptismum, non sufficit solum corpus, nec sola

nec sola anima, sed utrumque debet esse conjunctum. Quod si post Matrimonium conversi baptizentur, matrimonium prius contractum probabiliter fiet Sacramentum, præsertim renovato consensu maritali.

XI. *Questio secunda.* Utrum Christus ita elevarit contractum Maritalem Fidelium ad dignitatem Sacramentalem, ut noller deinceps ullum esse validum ac legitimum matrimonium inter Ecclesie suæ membra, nisi simul esset Sacramentum? Negant Vasquez Tom. 2. in 3. P. d. 138. c. 5. Basilii Pontius L. 1. de Matr. c. 9. n. 3. & nonnulli, arbitrati sub gravi solum præcepto teneri fideles, ne contractum conjugalem merè politicum ac civilem ineant. Affirmant melius Sanchez. L. 2. de Matr. d. 10. num. 6. Coninck. d. 24. dub. 6. conclusione 4. Palao d. 2. puncto 2. Num. 5. & plerique alij conformiter Concilij Tridentino & Florentino asserentibus universaliter & indefinito decreto *Matrimonium Christianorum esse verum Sacramentum.* Eodem sensu etiam loquuntur Patres præferrim S. August. L. de bono conjugij. & S. Ambros. in c. 5. ad Ephes. ac Lib. 1. de Abraham c. 7. nec possunt Adversarij vel unum adducere, qui cum illis hanc exceptionem addiderit, nempe si Christianè nubendo velint facere Sacramentum. Ratio nostra est; quia Christus instituendo hoc Sacramentum pro Ecclesia sua voluit, ut deinceps suorum Fidelium matrimonia non essent prophana ac merè civilia, ut Gentilium, sed sanctificata ac suæ Sacræ Reipubl. conformia. Atqui hoc ipso voluit, ut omnis contractus maritalis & validus inter suos subditos esset Sacramentum; aliàs ejus intentio frustrari posset. Ergo ex institutione Christi omne Matrimonium validum inter fideles est Sacramentum; siquidem contractus matrimoniales tales sunt, quales Christus in bonum commune Ecclesie intendit. Confirmatur ex majori insolubilitate conjugij inter baptizatos, quam inter infideles celebrari. Tum quia hæc proprietas rectissimè fundatur in ratione Sacramenti. Tum quia Christus abrogato Libello repudij in Synagoga usitato, sicuti in Ecclesia sua voluit matrimonia juxta primam institutionem insolubilia, atque adeo difficiliora quam ante, ita etiam omnibus superaddi gratiam Sacramentalem decrevit.

XII. Obijciunt Adversarij. Neque ex Scriptura, neque ex Concilij & Patribus constat, Christum ita annexuisse rationem Sacramenti contractui Civili. 2. Rationem Sacramenti posteriorem esse, & sequi ad substantiam contractus conjugalis, velut ejus accidens. 3. Rationem contractus non involvere Sacramentum, sed sine hoc subsistere. 4. Christus sic mutasset contractum conjugalem plus ad eum exigendo inter Christianos, quam per se requiratur. Resp. ad 1. Ex dictis constare, indivisibilitatem Sacramenti à valido contractu jure divino, & Ecclesiastico firmatam esse. Ad 2. Negando rationem Sacramenti velut accidens separabile subsequi contractum matrimonialem in tuo valore jam constitutum, quia ipse contractus est Sacramentum: nec aliud ex parte contrahentium superadditur præter intentionem modo Christiano nubendi. Ad 3. Concedendo ad contractum civilem & legitimum secundum se spectatum non requiri rationem Sacramenti; inde tamen non sequitur, eandem etiam supposità institutione Christi ad fidelium contractus non pertinere; sicuti per se & jure naturali ad legitimum conjugium non

spectat præsentia Parochi, & duorum testium, & tamen, ubi promulgatum est Tridentinum, sine hac solemnitate irritum est matrimonium. Ad 4. Negando. Nam contractui conjugali secundum se invariato addidit Christus dignitatem Sacramentalem & effectivam gratiæ, quam nemo nisi volens ac ritu Christiano nubere intendens consequi debebat. Videatur Elparza Tom. 1. Q. 114. ubi hanc quæstionem fusè & solidè tractat.

XIII. *Questio tertia.* An hæreticorum Matrimonia sint Sacramenta? Ratio dubitandi in utramque partem occurrit. Pro affirmativa stat capacitas subjeçti baptizati. Pro negativa defectus intentionis; cum enim hæretici non credant, Matrimonium esse Sacramentum, utique non volunt facere Sacramentum; ad consecutionem autem cujuslibet Sacramenti essentialiter requiritur intentio Ministrum, si enim Sacerdos absque intentione consecrandi pronunciaret verba consecrationis, nihil efficeret. Respondetur. Hæreticorum Matrimonia esse Sacramenta. Ita communiter Theologi Catholici. Nam tamen Hæretici explicitè protestentur, nolle se Sacramentaliter contrahere, quia in hoc puncto fidei errant, appetitativè tamen malunt conjugium Sacramentale, quam suò sine frustrari ac contrahendo nihil agere. Atque hæc voluntas appetitativè firmior cum prævaleat minus efficaci & explicitè propositæ, verè sufficit ad rationem Sacramenti, uti communiter & rectè tradunt DD. Talis autem voluntas inde colligitur; quia Sacerdotij absolute & simpliciter intendunt contractum validum & juxta mentem ac ordinationem Christi. Atqui contractus validus inter Catholicos est Sacramentum. Ergo & ipsi absolute & simpliciter intendunt Sacramentum, tamen ex errore interveniat inefficax voluntas, quæ excludere conantur à contractu conjugali non creditam rationem Sacramenti. Neque facile est quisquam tam perversus, qui rationem Sacramenti à Christo superadditam matrimonio ac per se à nemine contemptibilem adeo oderit, ut malit contrahendo nihil operari, quam inire contractum Sacramentum.

XIV. *Questio quarta.* An ipsum Matrimonium Fidelium non solum in fieri sed etiam in facto esse sit Sacramentum? Affirmat Bellarm. L. 1. de Matr. c. 6. Sanchez. L. 2. disp. 5. n. 7. Layman L. 5. tract. 10. part. 2. c. 2. n. 4. & alij nonnulli. Negant Coninck D. 24. dub. 2. n. 11. Palao D. 2. puncto 2. n. 3. & plures alij. Respon. multo probabilius videri, hoc Sacramentum, ut signum præcticum gratiæ, non esse permanens, adeoque in facto esse non habere veram & propriam Sacramenti rationem. Nam Sacramentum à Christo institutum est signum præcticum gratiæ sanctificantis, id est, ex suo usu & opere operato suscipientem Sanctificat, ut dixit Florentinum in decreto Eugenij & Tridentinum Sess. 7. per totum. At Conjuges usu matrimonij non sanctificantur opere operato, ut omnes fere DD. concedunt. Ergo Matrimonium in facto esse propriè non est Sacramentum. Unde quoad hoc inter Eucharistiam & Matrimonium discrimen est, quod illa continuo usu: hoc autem solum initio, dum sit maritalis contractus, gratiam significet efficiat & conferat. Quod si sumatur matrimonium pro signò speculativo rei Sacræ, hoc est, unionis, sive verbi cum Humanitate, sive Christi cum Ecclesia, vel anima rationali, quale signum fuit conjugium, licet imperfectè, antequam institueretur

teretur Sacramentum, nihil vetat dicere mysterium permanens. Quin etiam Sacramentum Matrimonij in facto esse conferat actualia auxilia ex jure, quod Gratiae Sanctificanti in fieri fuit annexum, non negamus, idque supra jam diximus.

XV. *Doctrina sexta.* Matrimonium non omnibus est permillum, sed propter varia impedimenta partim à Deo, partim à Ecclesia statuta multi illicitè, multi invalidè contrahunt. Ita omnes Catholici DD. qui alia impedimenta matrimonij vocant impedientia solum: alia dirimentia. Priora sunt, quæ matrimonium solum faciunt illicitum, & continentur his versibus:

*Ecclesia vetitum, nec non tempus feriarum,
Atque Catechismus, crimen, Sponsalia, votum.
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

Posteriora sunt, quæ matrimonium etiam dirimunt, & comprehenduntur his versibus:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen.
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Ætas, Affinis, si clandestinus & impositus.
Raptaque sit mulier, nec parvi reddita tute;
Hec facienda vetant connubia, facta retractant.*

Hæc utriusque fortis impedimenta pluribus explicantur à Theologis Moralibus & Canonistis, ac breviter à Felice Via in Summa Juris Canonici à fol. 143. quibus eadem relinquimus. Solum de voto aliquid dicere lubet. Est aliud simplex, aliud solenne. Votum simplex Castitatis sive Religionis, sive non nubendi, sive Ordines sacras suscipiendi obligat te ex jure divino & naturali abstinere à nuptijs regulariter ad usum conjugalem proximè ordinatis. Nam Deus rigidissime exigit solutionem votorum sibi nuncupatorum Ecclesiastici 5. v. 3. *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere, displicet enim ei omnis infidelis & stulta promissio.* Si igitur stante hoc voto contrahatur, fit quidem matrimonium illicitum, non tamen invalidum (excepto illo voto simplici, quod religiosi in Societate JESU unà cum duobus fundamentalibus alijs Religionis sinito Tyrocinio & alijs emittunt, ac per se sunt ac sunt veri Religiosi non secus atque ipsi tum Societatis tum quorumvis aliorum Regularium ordinum professi, ut definitum est in Extravag. Gregorij XIII. que incipit: *Ascendente Domino*, additis in contradicentes gravissimis censuris) Quomodo autem cæteri cum voto simplici illicitè contrahentes deinde in usu matrimonij gerere se possint, declarant citati Theologi Morales. Ex votis Solennibus alterum inest Religiosæ professioni, alterum majoribus Ordinibus, de quibus Controversiâ 38. satis diximus. Professio igitur Religiosa non tantum impedit & dirimit matrimonium contrahendum, sed etiam contractum irritat, ut habet Trid. Sess. 24. can. 9. *Si quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solenniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica vel voto, postquam omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt castitatis, etiamsi eam voverint, donum habere, anathema sit.*

XVI. Dubitatur autem valde, quò jure votum solenne in Religione impediatur, & dissolvatur connubium? Durandus, uterque Sotus, & alij apud Dicastillo d. 6. dub. 30. existimant oriri ex natura rei & jure divino naturali. Sed multò rectius sentiunt Suarez Tom. 3. de Relig. 2. c. 9. Vasq. in 1. 2. d. 162. Palao d. 4. punct. 6. & plerique alij, Professione Religiosâ tantum Ecclesiastico jure dirimi

matrimonium. Imprimis enim solennitas voti (quæ juxta Theologos consistit in perpetuitate & obligatione ad certum & stabile officium, vel vivendi modum [ab Ecclesia approbatum] est tantum juris Ecclesiastici. Ergo & illius effectus. Antecedens constat ex clara definitione Bonifacij VIII. In capitulo unico. de voto in 6. quam citata Bulla Gregorij XII. repetijt. Neque votum solenne secundum se & suam obligationem substantialiter differt aut magis tradit votentem DEO, quàm simplex votum continentie; & quamvis votum solenne Religionis conjunctum sit cum traditione, quæ se votens pro majore perfectione consequenda Religioni tradit, in ea tamen adæquate nõ stat ratio solennitatis, ut bene demonstrat Suarez L. 2. c. 2. & sequent, & palam est ex votis simplicibus Societatis JESU. Unde ad propositam quæstionem sumitur ratio à priori. Religiosus qui se cum voto castitatis Religioni donat, tradit se ut ad obtinendam perfectionem dirigatur, sed huic fini, secluso usu, non obstat conjugium. Ergo &c. Minor patet ex castissimo Matrimonio B. Virginis, quod neutiquam fuit impedimento summæ perfectionis. Videantur cit Auctores.

XVII. *Doctrina quinta.* Matrimonium Sacramentale est insolubile. Ita omnes Catholici Doctores. Nam cum matrimonium ad decentem prolis propagationem, atque educationem ordinetur, non minus ex natura rei congruit ipsi indissolubilibus conjugum nexus, quàm unitas uxorum, quæ habetur ex cap. 19. Matth. ubi Christus reducit matrimonium ad primam illius conditionem, quam habebat, quando primi parentes matrimonium inierunt: & revocat facultatem Judæis concessam dimittendi uxores, & plures ducendi. Unde Trident. Sess. 24. can. 2. sic statuit. *Si quis dixerit, licere Christianis plures simul uxores habere, & nullâ lege divinâ esse prohibitum, anathema sit.* Est autem inter Fideles Matrimonium aliud Ratum, aliud Consummatum; prius maritalem contractum sine subsecuto usu conjugali; posterius eundem contractum, sed subsecuta perfectâ & ad generandum aptâ copulâ completum significat; utrumque ex mutuo contrahentium consensu est indissolubile, ita tamen, ut matrimonium, si consummatum fuerit, nullâ prorsus lege possit dissolvi, nisi quoad usum & cohabitationem: ratum verò possit Ecclesiasticâ autoritate dissolvi, & facultas dari ineundi novum matrimonium. Desumitur hæc potestas ex promissione Christi Petro facta. Matth. 16. v. 19. *quidquid solveris &c.* quæ potestas solvendi non tantum pertinet ad vincula peccatorum, sed ad omnia salutis impedimenta. Ita solvuntur matrimonia per professionem Religiosam ex generali concessione Ecclesie, ut habet Canon. capitul. 14. de convers. conjugatorum & Trident. Sess. 24. c. 6. *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solennem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.* In particularibus etiam casibus matrimonia quorundam dissoluta sunt ex gravibus causis ad bonum publicum pertinentibus v. g. ad sedanda bella, ad Religionem Catholicam conservandam & propagandam &c. Nam ex legibus divinis, ad quas pertinet insolubilitas matrimonij, non potest Ecclesia sine gravi causâ dispensare; gravis autem causa in proposito censetur, quæ non solum ad privatam quorundam salutem, sed ad publicum bonum & majorem Dei gloriam pertinet; aliter facta dispensatio

facio non solum illicita, sed etiam invalida foret, sicut univrsim docent Theologi de dispensationibus legum à superiorum potestate latorum, ubi plus non licet inferiori, quam superior concesserit vel de ejus concessione prudenter præsumi poterit; non potest autem prudenter præsumi de mente superioris, quod velit suas leges infringi ob leves & privatas causas bono publico noxias, sicut multum noceret Reipublicæ & in magnam conjugum injuriam cederet, si pallim conjugia dissolverentur, & conjuges invitæ repellerentur, non facile alios maritos reperituræ tanquam suspectæ de malis moribus. Videatur Henriquez. L. 2. c. 8. ubi testatur, Gregorium XIII. eodem die undecim matrimonia rata dissolvisse.

P A R S P O S T E R I O R.

E R R O R E S H A E R E T I -
C O R U M.

XVIII. **E**rror primus est, Matrimonium non esse Sacramentum. Ita Luth. in capt. Babylon. Calvin. L. 4. Instit. c. 19. sect. 34. & seq. & omnes reliqui hujus temporis sectarij. Probant 1. Quia ex scripturâ non potest probari, multæ enim aliæ res in scripturâ dicuntur esse similes alijs rebus sacris, nec tamen ideo sunt Sacramenta. v. g. officium Pastoris erga oves est imago curæ Christi erga Ecclesiam 2. Quia conjugium Adæ & Evæ significavit conjunctionem Christi & Ecclesiæ, nec tamen fuit Sacramentum. 3. Quia in hoc Sacramento non confertur gratia, ut in alijs, ut ait Gloss. 32. q. 2. can. honorantur, & aliqui Canonistæ, quos sequitur & citat Durandus in 4. dist. 2. q. 3.

XIX. Mirum sanè, adeo conspirare Sectarios in abneganda Matrimonio ratione Sacramenti, quod aliàs tanti faciunt, ut nemo illo spoliatum se velit. Et si matrimonium non fuerit institutum à Christo Sacramentum, semperque in Ecclesia tale traditum, dicant quò tempore haberi cæperit pro tali? quod cum nunquam ostendere possint, sapientissimè tenetur, quod univrsim per orbem Ecclesia semper tenuit. D. August. qui floruit Anno Christi 420. Jam agnovit matrimonium verissimè esse Sacramentum. Nam L. de bono conjugij c. 18. & 24. Matrimonium quinque Sacramenti nomine compellat, hæc expressa ejus sunt verba: *bonum nuptiarum, inquit, ad populum DEI permanet etiam in sanctitate Sacramenti, per quam nefas est etiam repudio interveniente alteri nubere, dum vir ejus vivit. ubi rectissimè S. Doctor indissolubilitatem matrimonij Catholici, confirmat præsertim, sanctitati Matrimonij, ut Sacramenti, cum omnibus Catholicis Theologis attribuit. Plura clarissima testimonia tum ipsius S. August. tum aliorum antiquissimorum. PP. refert præter Bellarm. & alios Bernardinus Vetsis in specul. Eccles. à fol. 834. an non igitur hic locum habet, quod idem Sanctissimus Præsul Hypponenfis Epist. 118. & alibi scribit: *de eo, inquit, quod univrsim frequenter Ecclesia, disputare insolentissime est insania. Qualem insaniam jam olim ostenderunt Eytichiani illi, qui & Armeni dicti sunt, deterrima scilicet Eytichianorum soboles, quorum triginta duas hærefes recenset Gualterius in sua chronol. fol. 545. inter quas 23. est,**

Matrimonium non esse Sacramentum, quam insaniam hodierni etiam sectarij ostendunt, ut supra diximus, & videre est apud Gerhard. L. 2. part. 3. à fol. 205. & Ames. Tom. 3. à fol. 249.

XX. Respond. ad 1. probationem, fundamentum hoc, quod ex scriptura probari non possit, matrimonium esse Sacramentum, sæpius rejectum jam esse, ostendendo, fidem divinam non nisi solum scripturâ, sed quolibet DEI testimonio seu scripto seu non scripto, modò satis certificato, sicuti maximè certificatur matrimonium esse Sacramentum per auctoritatem Ecclesiæ, sine qua nec scripturæ auctoritas nobis constat. Hoc autem Ecclesiæ testimonium non habent res aliæ, quantamcūque similitudinem cum aliquibus rebus sacris præferant. Adhæc quamvis supra cum Vasquezio dixerimus, non efficaciter evinci ex loco D. Pauli ad Ephes. 5. Matrimonium esse Sacramentum, negari tamen non potest, probabilissimè ex eo colligi, junctâ præsertim continuâ Ecclesiæ traditione; unde Concilium Tridentinum in præfat. Sess. 24. ait, *hoc Sacramentum à Paulo inveni, nempe tanquam idoneam materiam, accedente Christi ordinatione. Et S. Chrysostomus hom. 10. in Epist. ad Ephes. verba illa: magnum mysterium, tribuit conjugio, licet per allegoriam representent conjugium spirituale Christi cum Ecclesia. At, inquit Amelius de matrimonio. fol. 255. hæc est turpis repugnancia Papistarum, matrimonium esse immunditiam, pollutionem, fordes carnales, & simul esse Sacramentum. Retorqueo rectius & dico: turpissimam esse hanc Calvinisticam & mendacem calumniam. Quis enim unquam Catholicorum istud de vero & legitimo matrimonio pronuncia vit? si sacrilegi concubitus sacerdotum & Monachorum reprehendantur tanquam pellutiones, quid quæso hoc ad legitimum matrimonium facit? Ad. 2. Matrimonium Adæ & Evæ figuravisse quidem futuram conjunctionem Christi & Ecclesiæ secundum carnem: at verò non propriè per gratiam, quæ per ejus usum conferretur aut præsens esset; & nec id quidem fortè ex institutione DEI, ut notavit valentia Tom. 4. disp. 10. q. 1. punct. 5. Quare matrimonium nec in veteri lege ullam Sanctificationem vel expiationem aut munditiam legalem contulisse legitur; sicuti nec manna propriè Sacramentum fuit, quantumvis Sacramentum Eucharistiæ per modum figuræ representarit. Ad 3. Durandi & illorum Canonistarum opinionem esse erroneam post definitionem Concilij Florentini & Tridentini; nec verò illi Catholici Doctores unquam negassent, matrimonium esse propriè Sacramentum, & gratiam conferre, si definitionem illorum conciliorum perpexissent. D. Bonaventuræ & subtili Scotto injuriam facit Amelius, dum eos fol. 249. proferentia Durandi citat; quam Puritanus ille excorurat, quod in matrimonio conjunctio viri & feminae naturalem causam habeat. Sed non advertit Rabula, non quamlibet hic effici unionem inter virum & feminam, sed planè indissolubilem non solum corporum, sed etiam animarum per veram Charitatem, ut uxor jungatur viro, sicuti Christus Ecclesiæ; ac proinde sit unio sanctificans, quam utique naturaliter significare nequeunt verba illa conjugum, quæ in celebratione matrimonij adhibentur.*

XXI. Error secundus est, votum Castitatis esse

222

illici-

illicitum, atque invalidum, ac proinde non impedire matrimonium, sed eo contempto non solum Laicos sed etiam Religiosos posse ac debere contrahere matrimonium. Sed hoc jam refutatum est supra Controv. 38. de cœlibat. Videantur DD. à Walenburch. Tom. 1. fol. 380. Argumentantur autem hæretici hic speciatim ex principijs Theologiæ Catholicæ contra votum Castitatis in hunc modum, si DEUS non acceptat votum castitatis, tum nec valet, nec obligat. Sed DEUS non acceptat votum castitatis. Ergo nec valet, nec obligat. Major docetur passim à Catholicis Doctoribus; sicut etiam promissio homini facta nihil operatur, nec valet, si homo ille non fuerit acceptare. Minor probatur. Quia DEUS non acceptat votum, quod impedit majus bonum, sed votum castitatis impedit majus bonum. Ergo DEUS non acceptat. Minor traditur ab ipsdem Theologis, & facile probari potest; quia Deus cupit nos meliora sectari 1. ad Corinth. 10. v. 13: *amulemini charismata meliora.* Minor probatur; quia votum castitatis impedit matrimonium, quod est majus bonum, utpote Sacramentum, Atqui Sacramentum utique melius est non Sacramento. Ergo Matrimonium melius est Castitate.

XXII. Respond. ad hoc argumentum, Matrimonium absolute non esse melius continentia sed tantum secundum quid, quatenus est Sacramentum efficax gratiæ; cujus tamen efficaciam castitas multis alijs modis compensat, sicuti innocentia utique melior est, quam penitentia, licet Sacramentum sit penitentia, innocentia non. Aliud ergo est comparare statum cum statu: aliud statum comparare cum Sacramento, status continentia est altior matrimonio, ac majoris gratiæ & meriti; *qui enim nubit, bene facit; qui non nubit, melius facit.* 1. ad Corinth. 7. v. 39. Sacramentum tamen semper auget gratiam in quocunque statu accipiatur. Sed si idem continens propter DEUM nuptias contempserit plus gratiæ à DEO accepisset, quam sit illa, quæ per Sacramentum matrimonij communicatur.

XXIII. Urget Amelius fol. 257. contra rationem Sacramenti Matrimonij. Omne quod confert gratiam, ut Sacramentum ex opere operato, illud præstatius est voto continentia, quod nihil tale præstat, Sed matrimonium non est Sacramentum conferens gratiam ex opere operato. Respondetur ex dictis distinguendo Majorem. omne quod confert gratiam, ut Sacramentum, ex opere operato, illud est præstatius voto continentia, secundum quid, esto: absolute negatur. Si enim omne id, quod confert gratiam ex opere operato absolute præstatius esset illò, quod nihil tale præstat, sequeretur, intensissimum actum charitatis, quò Beatissima Virgo vovit castitatem perpetuam, minus præstantem esse baptismo infantis, quod dici nequit; quis enim dubitare potest, quin actus ille Deiparæ. simpliciter nobilior sit multis hujusmodi parvulorum Baptismis; ipsa gratia in se spectata semper est ejusdem rationis sive ex opere operato, sive ex opere operantis acquiratur. Liberrimè autem fuit Christo, ut, licet continentia ex genere suo esset opus perfectius & magis meritorium, quam matrimonium, hoc tamen præ illà in Sacramentum elevarer, quò virtute hujus & ex opere operato gratia propter difficultates in matrimo-

nio occurrentes ad ejus finem referretur. Itaque simpliciter falsa est hæc propositio: *quævis actio & gratia Sacramentalis præstantior est quàm actio & gratia non Sacramentalis.* Sed possunt se habere ut excedens & excessum; & secundum quid etiam semper habet aliquid gratia Sacramentalis præ gratia non Sacramentali.

XXIV. Error tertius est. Ecclesiam non habere potestatem, nova impedimenta matrimonij dirimentia constituendi. Ita communiter hæretici nostri temporis, ut videre est apud Kemnitium in Exam. Concilij Trid. Sess. 24. c. 4. Ratio ipsorum est, quia Pontifex aut Ecclesiam non potest mutare materiam Sacramentorum à Christo institutam. Ergo non potest efficere, ut persona, quæ jure divino habilis est ad Sacramentum Matrimonij, fiat inhabilis. Atqui persona v. g. clandestinè contrahens, vel consanguinea habilis est jure divino ad Sacramentum Matrimonij. Ergo Pontifex aut Ecclesia non potest reddere in habilem. Ergo non potest impedire clandestinum matrimonium. Confirmatur. quia Ecclesia non potest facere, ut aqua elementaris in Baptismo non sit apta materia Baptismi, & sic de cæteris loquendo. Tum quia Ecclesia non habet autoritatem instituendi Sacramenta. Ergo nec constituendi substantiam Sacramentorum, sive ea, quæ ad substantiam requiruntur. Propter hoc argumentum multi Episcopi ac Theologi, qui fuerunt in Concilio Trident. antequam res definiretur, putarunt Ecclesiam non posse irritare vel dirimere clandestina matrimonia. Et Dominicus Soto in 4. dist. 28. q. 1. art. 1. ad Im. nihil audeat definire, sed Ecclesiæ judicio relinquere definiendum.

XXV. Errorem hunc damnat Concil. Trid. Sess. 24. de reformat. Matrimonij c. 1. ubi ita re ipsa irritavit matrimonium clandestinum constituendo novum impedimentum dirimens matrimonij. & ibidem can. 3. id ipsum ex instituto definitur his verbis: *si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur posse impedire matrimonium contrahendum, & dirimere contractum, nec posse Ecclesiam, in nullis eorum dispensare, aut constituere, ut impediant & dirimant, anathema sit.* Et can. 4. *si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimoniorum dirimentia, vel in ijs constituendis errasse, anathema sit.* Ratio est, quia Ecclesia est Res publ. perfecta habens proinde potestatem in ordine ad finem spiritualem, seu ultimam hominis beatitudinem constituendi ea, quæ ad eundem finem necessaria sunt, tum in rebus cæteris, tum præcipue in rebus spiritualibus ordinisque supernaturalis, uti est ratio contractus matrimonialis juxta illud Christi Math. 16. v. 19. *quodcumque ligaveris &c. & Math. 18. v. 18. quæcumque alligaveris super terram &c.* Respond. juxta ea, quæ diximus supra Cont. LXII. §. VI. Concesso antecedente, negando consequentiam. Quamvis enim Ecclesia aut Pontifex invalidare non possit materiam aut personam, si in eo statu & natura permaneant, in quâ Christus eas invenit; si tamen physica aut moralis mutatio in ijs accidat, ut non amplius tales sint, quales Christus invenit, tum per se desinunt esse validæ. Cum igitur materia Sacramenti matrimonij sit moralis, nempe legitimus contractus tam humanis, quam divinis legibus consentaneus, Pontifex aut Ecclesia ponentes novas leges

leges irritantes contractus matrimoniales, aut reddendo aliquas personas inhabiles ad matrimonium, hoc ipso facit contractum illegitimum & consequenter insufficientem ad matrimonium. Sic etiam Ecclesia alias personas inhabiles facit, & contractus alios irritat, puta novitios in Religionibus & professionem illorum factam ante annum novitiatus vel sedecim ætatis annos expletos, ut patet ex Concilio Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 16. Atque ex his etiam ad subsumptum & confirmationem utramque abunde constat. Nam persona clandestinè contrahens est quidem habilis ad Sacramentum secundum se: non tamen juxta præsertes leges est habilis ad talem contractum, quæ ad Sacramentum elevari, & cui ratio Sacramenti conjungi possit. Item quamvis Ecclesia humanâ potestate constituere non possit substantiam Sacramentorum in genere & formaliter eadem tamen in particulari & materialiter efficere valet, ut hoc vel illud habeat rationem materiæ Sacramentalis à Christo institutæ, quod antea non habebat eam, vel ut jam ejusdem materiæ rationem non habeat, quod antea habebat illam. Videatur Tanner Tom. 4. Disp. 8. Quæst. 4. a. n. 4.

XXVI. *Error quartus est.* Præcepta omnia, quæ de gradibus prohibitis Levit. 18. habentur, jure divino obligant Christianos, & hanc naturalem justitiæ normam nõ minus jam à Christianis, quam olim à Judæis observandam, nec ullâ dispensatione immutandam continent. Ita Lutherani apud Gerhard. L. 2. part. 3. à fol. 294. Calvinistæ apud Amesium à fol. 269. & alij Sæctarij. Fundamentum præcipuum est, quod DEUS videatur citato loco Levit. declarasse, prohibitiones illorum graduum non fuisse ceremoniales, aut judiciales, sed juris naturalis, atque adeo ad omnes homines & ad omnia tempora pertinere, tamen lex ipsa scripta pro illo populo per se nos non obliget. Confirmatur ab Amesio fol. 270. DEUS Levit. 18. & 20. pronunciat, se Gentes puniturum propter omnia illa conjugia, quæ ibi prohibentur, quales etiam conjunctiones in ipsis Gentibus vocat abominationes. Ergo præcepta illa de gradibus cognationis non sunt judicialia, sed moralia & naturalia, cum sint universalis, atque ad certa aliqua scelera restringi nequeant.

XXVII. Errorem hunc rejiciunt omnes Catholici Doctores ex definitione Concilij Tridentini Sess. 24. can. supra jam §. 25. cit. Ratio est. Tum quia leges Mosaicæ ceremoniales & judiciales per Christum abrogatæ sunt, & Christianos per se non obligant, ut alibi docetur. Quare in contrahendis Christianorum matrimonijs universim ac per se loquendo, non est habenda ratio legis divinæ Veteris seu Mosaicæ, Levit. 18. cit. Tum quia conjugia in quibusdam horum graduum morte puniuntur: in quibusdam verò pænâ leviore, ut patet ex v. 20. & 21. Ergo conjugia hæc non prohibentur jure Naturæ sed proprio Judæorum; & sanè per se rationi consonum erat, ut in lege positiva Moysis pro Judæorum Republ. non solum prohiberentur gradus jure naturali prohibiti, sed etiam alij nonnulli, ut communiter omnium Gentium more est receptum. Tum quia habemus exempla non pauca Sanctorum, qui antequam lex ista ferretur, in gradibus Levit. cit. prohibitis connubia inièrunt; hæc autem nunquam fecissent, si illa præcepta semper obligassent.

Tum quia citato loco Levit. interdicitur matrimonium nepotis cum amita, vel matertera: non tamen neptis cum patruo vel avunculo, cum tamen omnes sint in eodem gradu lineæ transversæ æquales. Item prohibetur conjugium cum uxore fratris defuncti, non tamen cum sorore uxoris defunctæ, ubi rursus est idem affinitatis gradus. Unde sic efficaciter argumentari possumus. Si omnia illa præcepta Levit. de gradibus jure naturæ constituta essent, tum intra eundem gradum omnia matrimonia essent illicita. Sed Moyses quædam conjugia prohibuit, & quædam permisit in eodem gradu. Ergo &c. Videri possunt Bellarm. de Matrim. à cap. 25. Valentia, Tanner alij. Respond. ad fundamentum Adversariorum, negando omnino, DEUM in Levit. declarasse, prohibitiones illas omnes profus esse absolute juris naturalis, ita ut in nullo casu jure naturali & divino liceat contra illas facere. Ad Confirmationem. Suum ista haberent pondus, si scriptura diceret: Gentes illas propter singula peccata enumerata eijsi è terra meruisse. At istud non dicit. Equidem deliquerunt Gentes commiscendo se absque ullo defectu contra jus Naturæ: at tamen non ita graviter, ut propter hæc præcisè è terrâ essent eijsiendæ; siquidem ista pænâ propriè spectat crimen idololatriæ, adulterii ac flagitia prodigiosa cum bestijs & masculis &c.

XXVIII. *Error quintus est.* Ecclesia non potest dissolvere Matrimonium ratum per solennem Religionis professionem alterius conjugis. Ita hæretici nostri, dum universim cælibatum Sacerdotum & Monachorû rejiciunt, ut speciatim videre est apud Joannem Gerhardum L. 2. part. 2. fol. 353. Rationem particularem hîc adducunt. Tum ex Math. 19. v. 6. ubi Christus ait: quod DEUS conjunxit, homo non separet. Tum quia pontifex non potest dispensare in jure divino & naturali, ut communiter tradunt Theologi de legibus. Atqui matrimonium etiam ratum est indissolubile jure divino, & naturali. Ergo &c.

XXIX. Errorem hunc, nempe matrimonium ratum & non consummatum dissolvi non posse quoad vinculum per professionem Religionis, damnat Concilium Trid. Sess. 24. c. 6. his verbis: Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solennem Religionis professionem alterius conjugum non dirimi. Anathema sit. Cæterum an universim etiam extra hunc casum religiosæ professionis pontificiâ dispensatione matrimonia Christianorum rata non consummata solvi possint, lis est Scholastica, non fidei? Multò probabilius affirmant Card. Bellarm. L. 2. de Monachis c. 38. Valentia Tom. 4. d. 10. de matrimonio q. 1. punct. 7. Azor Tom. 2. L. 5. c. 2. q. 3. Sanchez. L. 2. d. 14. n. 2. Tanner d. 18. q. 5. n. 62. & plures alij Theologi, atque universim Canonistæ. Moventur t. quia sæpe Videmus Summum Pontificem in Matrimonio rato dispensasse & illud dissolvisse, & multi Authores fide digni testantur, suo tempore varios Pontifices id factitasse, ut supra intelleximus ex Hentiquez. Quis autem credat in re adeo gravi Ecclesiam, quæ à Spiritu Sancto regitur & illuminatur, errare. 2. Concessa Ecclesiæ potestas Marth. 16. v. 19. solvendi & ligandi quàm latissimè est explicanda, cum sit utilis animarum salutis, & universalis. 3. Matrimonium non habet omnimodam indissolubilitatem; nec ratione contractus, ut patet, in matrimonio infidelium; nec ratione

Sacramenti, quia potest saltem per ingressum Religionis solvi: nec ratione significationis allegoricæ, quia non significat indissolubile vinculum Christi cum Ecclesiâ secundum carnem, sed tantum unionem secundum gratiam, quæ tamen in particularibus hominibus est solubilis.

XXX. Respondetur ad 1. ex fundamentis hæreticorum, hominem propriâ autoritate separationem illam facere non posse: at bene facultate à DEO concessâ, sicuti Ecclesiæ concessit prædictis verbis Matth. 16. *quidquid solveris &c.* quod clarius apparet in Sacramento pœnitentiæ; quis enim potest dimittere peccata, nisi solus DEUS Luc. 5. v. 21. & tamen Ecclesiâ loco DEI peccata dimittit. Ad 2. Pontificem dispensando in ejusmodi matrimonij non propriè & immediatè dispensare in jure divino & naturali, sed in contractu humano saltem in casu præsentis dispensationis superioris ob bonum ipsius communitatis; hunc ergo Pontifex enervat, qui est fundamentum obligationis juris divini; destructo autem fundamentò desinit suâ sponte & per se illa obligatio; sicuti etiam dispensando in voto non dispensat propriè in jure divino, quo votum obligat, sed tollit & enervat ipsum votum, quod est fundamentum ejus obligationis, quam homo suâ sponte sibi imposuit. Ita cum S. Thoma 2. 2. q. 8. a. 10. ad 2. Tanner loc. cit. n. 64. Idem tenet Palao de Leg. d. 6. punct. 3. n. 6. Qui tamen respons. 2. addit, ex illis verbis Math. 16. colligere DD. posse Pontificem remittere Nomine DEI obligationem Voti, Juramenti, & Matrimonij rati; quia ex praxi & usu Ecclesiæ id constat: at ex usu & traditione Ecclesiæ contrarium colligi in alijs divinis præceptis. Ergo non est in illis admittenda talis dispensatio; sicuti non admittitur in matrimonio consummato. Dici etiam posset, in quibusdam casibus ob certas rationes & difficultates nec divinam nec naturalem legem obligare, sed in illis exceptionem facere; declarationem tamen talis exceptionis à DEO & natura factæ ob materiæ gravitatem soli Papæ competere, qui proinde circa legem divinam & naturalem propriè non dispensat, sed solum explicat, & declarat illam, quod scilicet in tali casu non obliget, ut docuimus in Disput. de Legibus à fol. 169. cum Arriaga de Legibus disp. 8. & nonnullis Theologis.

XXXI. Error sextus est. Matrimonium etiam consummatum à quolibet solvi posse propter adulterium. Ita communiter sectarij hujus temporis, ut videre est apud Gerhardum & Amesium locis mox citandis. Fundamentum sumunt ex concessione Christi Math. 19. v. 9. *qui dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, machatur.* Anabaptistæ, Lutherani, & Calvinistæ hoc ob paritatem rationis extendunt ad similes causas adulterio æquivalentes v. g. si uxor debitum conjugale sæpius neget, vel ad longinquam regionem fugiat, vel ad peccatum incitet, vel ante matrimonium fornicata fuerit &c. Unde admodum faciles sunt Prædicantes ad dissolvenda matrimonia, & alias atque alias uxores ducendas. Quæ de re quàm fædè scripserit Lutherus, patet ex ejus Libro de Vita Conjugali Tom. 8. Wittenbeg. Germ. pag. 177. fac. 1. ubi inter alia habet: *si non vult uxor, veniat ancilla; nempe ob contumaciam uxoris.* Hinc subjungit: *si non velit, dimitte illam, & aliquam Esterem adjuuge, repudiata Vastibi, sicut Rex Assuerus fecit.*

XXXII. Errorem hunc apertè damnat Trident. Concilium Sess. 24. can. 5. his verbis: *quis dixerit propter hæresim aut molestantem aut affectatam absentiam à conjugio dissolvi posse matrimoniale vinculum, anathema sit.* Et can. 7. *si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit & docet, juxta Evangelicam & Catholicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonij vinculum non posse dissolvi, & utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjugate vivente aliud matrimonium contrahere, m. charique eum, qui dimisit adulterâ aliam duxerit, & eam, que dimisso adultero, alij nupsit, anathema sit.* Ratio hujus desumitur 1. ex Scriptura, in quâ univèrsim nullâ factâ exceptione fornicationis aut alterius causæ, sæpius pronuntiatur, non licere in lege Evangelicâ, nec viro dimittenti, nec uxori dimissæ aliud matrimonium inire: & verò, si de factò inierint, mæchari, atque matrimonium irritum esse. Varij hujusmodi loci videri possunt apud Tanner q. 5. cit. dub. 3. & alios. præcipuus habetur Marci 10. v. 11. *quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eam: & si uxor dimiserit virum suum, & alij nupsit, machatur.* Quid clarius? 2. ex perpetuâ traditione Ecclesiæ, in quâ semper & constanter hoc dogma traditum, ac sæpius etiam definitum fuit. Apertissimis verbis illud docet S. August. L. 2. de adulterinis conjugijs c. 4. ubi de verbis Apostoli ad Rom. 7. v. 2. *hæc verba, inquit, Apostoli toties repetita, toties inculcata vera sunt. viva sunt, plana sunt, Nullus viri posterioris mulier esse incipit, nisi prioris esse deserit; esse autem desinit prioris uxor, si moriatur vir ejus, non si fornicetur. Licet itaque dimittitur uxor ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod sit reus adulterij, qui dimissam ab alio, etiam ob causam fornicationis, duxerit.* Similia habentur alibi, quæ refert Beharm. L. 1. de Matrim. cap. 16. 3. Ratione. Quia matrimonium naturali jure indissolubile est, nisi quatenus ex peculiari privilegio seu dispensatione divinâ in aliquò casu contrarium Ecclesiæ divinitus manifestatum est. At verò neque per scripturam, neque per traditionem Ecclesiæ unquam manifestatum est, matrimonium consummatum inter Christianos ullò casu dissolvi. Ergo non est asserendum, illud matrimonium ullò casu dissolvi posse.

XXXIII. Sed quæres. Cur matrimonium ratum in aliquò casu dissolvi potest, non consummatum? Respond. Matrimonium ratum significare tantum Unionem Christi cum Ecclesiâ per charitatem & gratiam, quæ in membris ejus subinde dissolvitur: Consummatum vero significare unionem Christi cum Ecclesiâ per Carnem assumptam, quæ unio prorsus indissolubilis est. Ita Eugenius III. c. debitum. de bigamus. Non obstat quod olim Deut. 24. Judæis permissum fuerit datò libello repudij dimittere uxores suas, & alias ducere. Quia hoc factum est propter duritiem eorum, juxta illa verba Christi Matth. 19. v. 8. *Moyse ad duritiem cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic.* Unde illa severa verba Christi apud Marcum c. 10. cit: *Quicumque dimiserit &c.* & Apost. ad Rom. 7. v. 2. cit: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri.* Igitur vivente, virò vocabitur adultera, si fuerit cum altero viro. Concernit autem dubium istud solos Christianos; siquidem

siquidem aliud est de infidelibus. Nam si duo infideles contrahant matrimonium, & postea alter conjugum fiat Christianus, altero persistente in sua infidelitate, potest Christianus infidelem dimittere, & cum alia Christiana contrahere, ut docet Apostolus 2. ad Corinth. 7. v. 15. quod Christianis non licet.

XXXIV. Respond. nunc ad fundamentum Hæreticorum supra ex Matth. 19. v. 9. allatum, quod valde urgent Gerhærdus L. 2. parte 3. à fol. 246. & Amelius à fol. 260. exceptionem illam Christi: *Nisi ob fornicationem tantum pettinere ad dimissionem uxoris à toro & cohabitatione*: non ad alterum conjugium, ut ipse verborum ordo indicat. Nam Matthæus priori versiculi parte excipere voluit casum fornicationis, ut ostenderet plenè ac solidè à Christo responsum esse petitioni Phariseorum, scilicet non ex quacunque causa, sed ob solam fornicationem (subaudi vel aliud gravius crimen) licere divortium facere; divortium, inquam, non quoad vinculum Matrimonij, quod ex natura sua (quam fornicatio non immutat) esse insolubile, in prioribus verbis probatum fuit; sed quoad torum seu cohabitationem. Quem admodum ergo Matthæus in posteriori versiculi parte absque ulla exceptione dixit, qui dimissam duxerit, moechatur, sic inquam, in priori ejusdem versiculi parte etiam absolutè & universim pronunciat, quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, non inquit verum matrimonium, sed adulterium committit, ita ut exceptio, quæ ibidem interijcitur, solummodo ad casum fornicationis, & ad separationem à toro & cohabitatione pertineat; cætera autem verba insolubilitatem vinculi matrimonialis indicent. Alioquin Matthæus non solum Sanctis Marco, Lucæ, Paulo, & Tridentino, sed etiam sibi ipsi adversaretur, judicans melioris esse conditionis illam, quæ ob fornicationem seu adulterium dimitteretur, quam quæ citra crimen aut culpam suam innocens dimitteretur, siquidem hæc alteri nubere non potest. Atque sic corrui Achilles hæreticorum: neque his favent Cajetanus in cit. cap. Matthæi, & nonnulli Catholicis; etenim isti quidquid olim putarint, Ecclesiæ judicio diserte se subjecerunt, nondum scilicet esse conditionem definitionis Concilij Tridentini. Manet autem semperque manebit turpitudine Lutheri, ejusque spurcitiem Gerhærdus quid: quid fol. 333. conetur, nullis unquam verborum telis velabit, necicam emundabit. Videri potest Card. Bellarm. de Matr. à cap. 13.

XXXVIII. Error septimus est. Matrimonia filiorum nulla sunt, si Parentes in ea non consentiant. Ita Novatores nostri temporis, ut videre est apud Gerhard. L. 2. part. 3. à fol. 267. & Amesium tom. 3. à fol. 268. Nituntur aliquot Sacræ Scripturæ testimonijs 1. Exod. 34. v. 16. Deut. 7. v. 3. Jerem. 29. v. 6. & 1. ad Corinth. 7. v. 36. præceptum de matrimonio filiorum parentibus potius datur, quam filijs 2. Exodi 22. v. 16. & Deut. 22. v. 29. permittitur arbitrio Patris, an stuprator filia suæ accipiat eam in uxorem, nec ne. 2. Promissionem Filij DEO factam potest Pater annihilare Num. 30. v. 4. 5. & 6. Ergo multo magis promissionem homini factam de conjugio. Confirmant ex quibusdam canonibus, consensum Parentum ad matrimonia filiorum requirendum esse.

XXIX. Errorem hunc rejicit Concil. Trid. Sess. 24. c. 5. de reformat. Ubi anathematizantur, qui falsò affirmant, matrimonia à filijs familias sine parentum consensu contracta esse irrita, & parentes ea rata vel irrita facere posse. Idem habetur in capit. tum virum. de regularibus. Ratio est. Tum quia filij quoad electionem status ac matrimonij sunt sui juris, ut pluribus ostendit Bellarminus de Matr. L. 1. c. 19. & 20. & alij. Tum quia omnia, quæ spectant ad essentialiam matrimonij, adhiberi possunt, etiam si Parentes non consentiant, nempe Materia, Forma, Minister, qui sunt ipsi contrahentes, & præterea parochus cum duobus alijs testibus. Ergo nulla est ratio, cur contractus Matrimonij tunc non valeat.

XL. Respond. ad 1. ex Script. plus hinc non haberi, quam ad parentes pertinere directionem, ut prudentur Filij matrimonium contrahant. Item verba: *filiam tuam non dabis filio ejus*, Cananæ scilicet, plus non probare, quam parentem posse imperare filio, ut non contrahat cum tali, cum qua revera ei non expedit contrahere, non ideo autem reddi irritum contractum. Ad 2. hoc non esse ad rem nostram; siquidem in ijs locis non statuitur, fore matrimonium irritum, si eò casu puella & stuprator, in scio patre, matrimonium contraxissent. Ad 3. Legem illam divinam loqui de filiabus; quæ adhuc sunt in puellari ætate seu impuberes; est autem nimis magna disparitas inter votum puellæ impuberis, & contractum matrimoniale filia familias pubertatem egressæ. Ad Confirmationem. Canones, qui exigunt consensum Parentum, intelligendi sunt ex honestate & decentia: non ex necessitate Sacramenti. Si quæ verò leges tale matrimonium irritent, eæ sunt juxta communem sententiam jure canonico abrogatæ. Dicit Gerhærdus fol. 269. consensum filiorum sine consensu parentum non esse integrum & legitimum, ut docent juris consulti. Ergo deest forma Sacramenti. Distinguo; deest aliquid, ut honestè fiat usquequaque; concedo: deest aliquid, ut validè fiat, nego. Ut si aliquis celebret nuptias tempore prohibito, sine dubio non honestè & legitime facit; quis tamen contractum hunc pronunciare aulit irritum?

XLI. Error Octavus est Anabaptistarum, qui polygamiam plurium uxorum concedunt, atque ita statuerunt in Conciliabulo Monasteriensi in Westphalia 1531. & re ipsa fecerunt septenas & octenas uxores simul ducendo. Nituntur Tum Exemplo Abrahami, Jacobi, Elcanæ & plurium aliorum. Tum autoritate Apostoli. 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. ubi solis Episcopis & Diaconis plures uxores prohibuit. Ergo Laicis plures concedit. Non est alienus ab hac opinione Lutherus in Comment. in Genes. Wittenbergæ 1561. editus: *polygamiam expressò textu in lege Evangelica non prohiberi, & liberum esse eam usurpare; cum id Abrahamo, Jacobo, Davidi, & alijs viris in usu fuerit*. Gerhærdus non potest istud negare, excusat tamen Magistrum suum fol. 333. quod Monachus & Papiſta insanissimus fuerit, nondum plenè illuminatus. Sed hoc non est tam excusare Lutherum, quam incusare Protestantés, omnesque Lutheranos summæ levitatis, quod infanum Monachum, & tenebris ignorantiarum involutum cæco impetu secuti fuerint, Sanctæ

Romanâ fide & Ecclesiâ, quæ tot sæculis illæsa stetit, p̄fide relicta. Testatur etiam Costerus in Compendio, demonstratæ Fidei fol. 382. tum temporis Prædicantibus admodum familiare fuisse, ut invicem suas uxores tanquam equas permutarent, atque intra medium annum unus tres, quatuorve uxores haberet. Addi potest exemplum Valentiniani Imperatoris pij atque catholici, qui legem promulgavit, ut liceret unicuique plures uxores accipere teste Sacrate L. 4. c. 27.

XLII. Errorem quoque istum rejicit Tridentinum Sess. 24. can. 2. his verbis: *si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, & nullâ lege divinâ esse prohibitum, anathema sit.* Et merito. Nam Christus in Evangelio Matth. 19. reducit Matrimonium ad primam illius conditionem, quam habebat, quando primi parentes matrimonium iniêrunt, revocando facultatem Judæis concessam dimittendi uxores & plures simul ducendi. Unde Paulus 1. ad Corinth. 7. v. 2. monet, *ut unus quisque suam uxorem habeat vitanda fornicationis causâ; suam, inquit, non autem duas, vel tres, vel plures.* Accedit, quod polygamia repugnet aliquo modo Naturæ, ut cum S. Thoma 3. P. q. 67. a. 1. docent passim Theologi; quia contra legem naturæ est, quando res uni tradita, & ab eò legitimè possessa, alteri traditur possidenda. Sed maritus in Matrimonio corporis sui potestatem dat uxori. Ergo jure naturæ non potest illam alteri tradere. Dixi aliquo modo; nam finis matrimonij triplex est. 1. procreatio, seu propagatio prolis. 2. mutuum obsequium conjugum. 3. remedium concupiscentiæ. Ex his primus est primarius, duo reliqui sunt secundarij; unde sequitur, polygamiam ratione finis primarij esse conformem legi Naturæ; per plures enim

uxores propagatio prolis potius promovetur, quam retardetur: ratione autem finis secundarij esse repugnantem.

XLIII. Respond. ad 1. argumentum Novatorum. Deum post diluvium concessisse, ut liceret plures habere uxores simul, quod antea non licebat Genes. 1. v. 27. *Masculum & feminam fecit eos.* Matth. 10. v. 4. *Qui fecit hominem ab initio, Masculum & feminam fecit eos.* Concessit autem Deus post diluvium polygamiam tum ad propagandam prolem, qui est primarius finis, tum ut ellet figura & typus pluralitatis, seu multitudinis Gentium, quæ Christo tanquam Sponso erat conjungenda, ut cum S. Thomâ loc. cit. art. 2. ad 5. docent Theologi. Ad 2. Apostolum tantum loqui de pluribus uxoribus successivè, quas Clericis interdicit, Laicis permittit. Ad 3. Imperatorem illum meritò ab aliquibus reprehendi, quod ausus fuerit legem à Christo latam abrogare, & contrariam statuere, quò facilius libidinem suam explere posset, ducendo aliam uxorem, primâ, ex quâ Gratianum susceperat, superstitè, Non desunt alij, qui putent, esse meram hominis Ariani calumniam, qualis Socrates erat; si enim Valentinianus talem legem promulgasset, Sanctissimi viri Damascus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, qui circa illius tempora vixerunt, utique totis viribus illi restitissent, & nefandam illius impudicitiam scriptis damnassent, quod tamen minimè fecerunt; quin eximia illius Imperatoris Castitas à varijs Authoribus celebratur.

* * *

☉ (IHS.) ☉

F I N I S.

Omnia ad Majorem DEI gloriam, & Sanctæ Matris ECCLESIAE Catholicæ incrementum: cujus etiam JUDICIO omnia humillimè subjecta sunt.

